



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Oxomensis Episcopo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

cipias insuper ipsi districtè, ut in prædicta & aliis villis circumpositis profiteatur & prædicet fidem catholicam, ac confundat & detestetur hæreticam pravitatem, sic deinceps vitam suam bonis adornans operibus, ut infamia convertatur in famam, & omne scandalum & suspicio de catholicorum mentibus deleatur. Quòd si forsan in purgatione defecerit, cum ecclesiasticæ districtiõnis mucrone percussus, & ab officio beneficiõque depositus ad agendam poenitentiam in arctum monasterium retrudere non omittas. Datum Lat. Nonis Maij.

*O X O M E N S I E P I S C O P O .*

*Epist. 64. Constituantur ista facta per eum in Ecclesia sua.*

**O**Rdinem religionis plantare, ac fovere plantatum, ex officij nostri debito provocamur, & sic religiosis locis apostolicum nos convenit præbere patrocinium & favorem, quòd sub regimine ac gubernatione nostra assiduis proficere valeant incrementis. Intelleximus siquidem per scriptum authenticum sigillo tuo & venerabilis fratris nostri Toletan. Archiepiscopi communitum, quòd tu de communi consensu totius Capituli Oxomensis, auctoritate præfati Archiepiscopi, consensu etiam & consilio cariss. in Christo filij nostri A. Regis illustris Castellæ, deliberatione provida statuisti, ut secundum præceptum felicitis record. Alexandri & Lucij Rom. Pontificum in Oxomen. Ecclesia sint de cetero Canonici regulares, nec aliquis in portionarium vel secularem Canonicum recipiatur deinceps in eadem. quædam etiam alia capitula statuisti, quæ in eodem scripto perspeximus contineri. Volentes igitur quod à te videtur pia deliberatione statutum, debita firmitate gaudere, constitutiones ipsas, (quas possemus restitutiones potiùs nominare, cum à longis retro temporibus hoc ipsum de Oxomen. Ecclesia fuerit, sicut asseris, à Rom. Pontificibus ordinatum) sicut ipsæ à te rationabiliter factæ sunt, & à tuo receptæ Capitulo, auctoritate apost. confirmamus, & præsentis scripti pagina communimus. Nulli ergo &c. Datum Laterani V. Idus Maij.

*O X O M E N . E P I S C O P O .*

*Epist. 65. Concubinarij publici puniantur, si acolaris mibatur purgati.*

**T**Va nos duxit fraternitas consulendos, si de Clericis publicè concubinas habentibus, qui quando conveniuntur à te se esse concubinarios diffi-

rentur, nec apparet contra eos legitimus accusator, credendum sit testimonio bonorum virorum inter quos vivere dignoscuntur. Nos igitur consultationi tuæ taliter respondemus, quòd si crimen eorum ita publicum est ut meritò debeat appellari notorium, in eo casu nec accusator nec testis est necessarius, cum huiusmodi crimen nulla possit tergiversatione celari. Si verò publicum est, non ex evidentia, sed ex fama, in eo casu ad condemnationem eorum sola testimonia non sufficiunt, cum non sit testimonius, sed testibus, judicandum. Sed si de Clericis illis talis habeatur suspicio, ut ex ea scandalum in populo generetur, licet contra ipsos non apparuerit accusator, tu tamen eis canonicam potes purgationem indicere: quam si præstare noluerint, vel defecerint in præstanda, eos canonica poteris animadversione punire. Datum Laterani V. Idus Maij.

*Cap. Tua nos. De cohabitatio- ne Clericorum & mulierum.*

*V R A T I Z L A V I E N . E P I S C O P O .*

**N**Vper à nobis tua fraternitas requisivit, quid sit de illis laicis sentiendum qui Clericos violenter, sine læsione tamen, in custodia detinent publica vel privata, vel etiam detrudunt in vincula, utrum in canonem sententiæ lætæ incidant, ut ipso facto sint vinculo excommunicationis innodati, sicut illi qui manus in Clericos injiciunt temerè violentas; & utrum qui nominatim excommunicatis scienter communicant, absolvi ab excommunicatione possint per confessionem à simplici sacerdote, vel Episcopi seu \* Archipresbyteri sit ab eis absolutio expetenda; & si post actam poenitentiam cum illis valeas dispensare qui etsi bigami de jure non sunt, de facto saltem bigami nominantur, eò quòd in sacris ordinibus constituti, more nuptiali secundas in contubernium sibi mulierculas adjunxerunt. Nos igitur inquisitioni tuæ taliter duximus ex ordine respondendum, quòd in primo consultationis articulo non credimus laicos poenam excommunicationis evadere, quamvis eorum factum corporalis læsio non fuerit subsecuta, citra quam violentia sapius circa Clericos nequiter perpetratur. In secunda verò quæstione credimus distinguendum, an is qui nominatim excommunicato scienter communicat, in crimine communicet criminoso, ei consilium impendendo, auxilium, vel

*Epist. 66. Consultanti responderetur super pluribus articulis. Cap. Nuper. De sentent. excommunicationis.*

*\* In Tertia Collect. Archiepiscopi*